tatibus clausum · et quibusdam mysteriorum nodis li
gatum · in omeliis · VII · domino nostro ihesu christo largiente discus
simus · Iam nunc planiora sunt · et minus difficilia quae sequuntur ·
Cartarum itaque eloquium · eidem omnipotenti deo gratias referentes · quia
post tot opaca siluarum · tandem laeti ad campos exiuimus · in quibus
liberis gressibus locutionis nostrae intrepidum pedem ponamus ·
Ecce enim postquam propheta similitudinem gloriae domini contemplatus in
faciem suam cecidit · adiungit · Et audiui uocem loquen
tis · et dixit ad me · Fili hominis · sta super pedes tuos · et loquar
tecum · Ubi adhuc subditur · Et ingressus est in me spiritus · post
quam locutus est michi · et statuit me supra pedes meos · Ecce
diuina uox iacentem prophetam iussit ut surgeret · Sed surgere
omnino non posset · nisi in hunc omnipotentis dei spiritus intrasset · Quia
ex omnipotentis gratia ad bona quidem opera conari possumus · sed ipse
non adiuuat qui iubet · Sic paulus cum discipulos ammoneret
dicens · cum metu et tremore uestram salutem operamini · illico
quis in eis haec ipsa bona operaretur · adiunxit dicens · Deus est
enim qui operatur in uobis et uelle et perficere pro bona uolun
tate · Hinc est quod ipsa ueritas discipulis dicit · Sine me nichil
potestis facere · Sed in his considerandum est · quia si bona nostra
sic omnipotentis dei dona sunt · ut in eis aliquid nostrum non sit · cur nos quasi
pro meritis aeternam retributionem quaerimus · Si autem ita nostra sunt ·
ut dona dei omnipotentis non sint · cur ex eis omnipotenti deo gratias agimus ·
Sed sciendum est · quia mala nostra solummodo nostra sunt · bona autem
nostra et omnipotentis dei sunt et nostra · Quia ipse aspirando nos praeuenit
ut uelimus · qui adiuuando prosequitur ne inaniter uelimus ·

Marginal notes:

ɔ si hęc implere non possum.

Paul.

Eug.

Non quod habeam nostrum et quod commune cum deo.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG · STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG · HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen · Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation · Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0129